



Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
POSTERIOR,

16.

Prot. vid. Vol. 37. D. 30. a.

QVA

ΕΠΕΡΩΤΗΜΑ

SEU

PROFESSIONEM
FIDEI

BAPTISMALIS

ex Oraculo I. Petr. III, 21.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO,
SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBL.
ALVMNORVM REG. ELECT. EPHORO, ET ORD. THEOL.
h. t. DECANO,

EXCVTIT

ET ERVDITORVM VENTILATIONI SVBIICIT
M. IMMAN. HENR. KAVDERBACH,
GEISINGENSIS MISNICVS.

AD D XXVI. OCTOBR. A. O. R. MDCCXIII.

VITTEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.

10
DISECTIO IN OROLOGIA
POSTERIOR

THESE

PROFESSOR

DAVID

DR. FRIDRICH AUGUST

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS



Moderante Christo!

ΕΠΕΡΩΤΗΜΑ

SEU

PROFESSIO FIDEI
BAPTISMALIS

ex 1. Petr. III, 21.

§. I.

Proxima Disputatione Numinis praefidio adjuti confectum dedimus, in oraculo Petrino proposito studium bonae conscientiae ex eo capite urgeri, quoniam in sanctissimo baptismi lavacro non saltem Christiani eam *purificatam* a peccatis & ablutam acceperint, verum etiam DEO eam se conservaturos *integram & incorruptam* gratitudinis testandae instar *sponderint*. Prius enim satis evidenter patuit, quando baptismum non *ablutionem externarum sordium*, sed *Conscientiae* nominat Petrus, quae per baptismum *bona*, id est munda & impolluta reddita fuerit;

A

fuerit;

fuerit; alterum vero non minus conspicuum esse poterat, quando baptismati tribuit *stipulationem* aliquam *Dei* beneficium propter Christum conferentis, & *hominis*, gratitudinem pro beneficio pollicentis. Tale quid enim *ἐπερώτημα* inferre, nihil est cur dubitemus, quod negotium sicut in anima ac mente baptizatorum geritur, ita ut ore non minus exprimeretur, & declararetur ab ipsis, antiquissimum institutum esse, & sub hoc ipso vocabulo Petrino innui, probat ipsa ecclesiae praxis, & institutio baptismalis quodammodo evincit, quando Christus verba illius institutionis pronunciarum in baptismo iussit a baptizante; ibi enim libertati ecclesiae integrum reliquit, ut praeter illa verba institutionis, quae inviolabiliter retinenda sint, etiam quaedam verba interrogatoria & sponsoria solennitati isti coram fidelium congregatorum facie suscipiendae insereret, atque foederis baptismalis nexum, ordinem indolemque, hoc ritu minime superfluo, edoceret.

II.

Diximus vero in illo foedere duo figillatim momenta ab antiquissimis temporibus observata fuisse, nempe *abrenunciationem diabolo solenniter factam*, & mox ei *adjunctam professionem fidei Christianae*, qua se baptizandi Salvatori dedicarent & in nomine ejus salvari cuperent ac sperarent. Et duplex quidem illud argumentum ibi agitatum fuisse inter alios validissimos testes, qui id confirmarent, vel unus CALOVIVS sufficiebat, (ringentibus licet & male habentibus CLERICO cum aliis nonnullis hoc faciamus, qui nos ideo suggillant, quod tum demum res probata nobis videatur, si CALOVII aut aliorum nostrorum suffragio confirmata sit, qualis vero censurae nos pudere non poterat) quan-

quando ad locum Petrinum annotaverat contra GRO- Bibl. Illustr. in h. l.
TIUM, qui de sola abrenunciatione istud oraculum expla-
naverat, non illam tantum responsionem reddidisse baptizan-
dos, sed inprimis etiam de fide: dum interrogati, an credant
in Christum, BONA CONSCIENTIA, id est, serio & ex animo
respondebant se credere & abrenunciare, ut ex Beda Estius ob-
servaverit, eamque interrogationem apposite ΕΠΕΡΩΤΗΜΑ dici,
id est stipulationem, qua inter duos uno interrogante & altero
respondente contractus fieri solet. Habebamus & alios no-
strae sententiae conformes testesque satis validos; Me-
rebatur inter eos adhuc adduci praecipue Theologus
antiquitatis sanctioris satis peritus, imo ob magnam aeta-
tis partem in hoc studiorum genere consumtam admo-
dum celebris GEBHARDUS THEODORUS MEIERUS: De Initia-
mentis Chri-
stianorum
p. 43.
hic vero ita scribit: Petrus associationis in ecclesiam Christi
per baptismum modum & rationem exponere videtur, quando
docet, baptismum nos servare (non quo sordes carnis abjici-
untur, sed stipulatio bonae conscientiae apud DEUM) per re-
surrectionem JESU CHRISTI. Qui in numerum civium ali-
cujus reipublicae recipi cupiunt, & propterea nomen suum apud
Magistratum profitentur, ab illis magistratus aliquid stipulatur,
sub cujus conditione recipiuntur; ad eundem modum se res
habet cum receptione in ecclesiam, quae fit in baptismo. Stipula-
tur DEUS per ministrum a baptizando bonam conscientiam
hoc est fidem & obedientiam, quae sunt fulcra bonae conscien-
tiae, simulque adstipulanti Spiritus S. gratiam, remissionem
peccatorum & vitam aeternam promittit. Baptizandus vicis-
sim profitetur fidem pietatemque, renunciat Satanae & mundi
hujus cupiditatibus. Atque haec omnia DEUS agit per quan-
dam condescensionem, & ritu baptismi obsignantur. Dicimus
per quandam condescensionem, proprie enim pactum vel foedus
inter DEUM & hominem locum habere non potest ob infinitam
A 2 distan-

distantiam & absolutum DEI in homines imperium &c. Quae hic de *condescensione* scribuntur, opinionem peculiarem Autoris de transumpto baptismo Christiano ex baptismo Profelytorum Judaico per *συγκατάβασιν* sapiunt, quam opinionem vero cur pro profligata habeamus, causae nobis satis sunt graves.

III.

Caute tamen hic procedendum omnino arbitramur, ne aliquo modo mens Apostoli vel potius Spiritus S. ipsaque analogia fidei violetur, & figillatim quidem praecavendum I. *ne gratiam regenerationis divinae & justificationis*, quae in baptismo homini confertur, *ab illa stipulatione dependere & suspendi credamus*, quod facile fieri potest, si fingatur, hominem ante regenerationem primam habere potestatem ineundi cum Deo foederis, & fidem obedientiamque ipsi polliceri, qui tamen omnibus viribus in universum est destitutus; aut statuatur, Deum non prius regenerationem & justificationem in baptismo dare velle, quam homo promptum se exhibeat ad illam gratiam amplectendam & agnoscendam; cum tamen illa ipsa promptitudo non ex hominis currentis & volentis, sed ex Dei misericordia, ipsaque regeneratione cum actibus suis omnibus antedecaneis spectata, oriatur ac resultet: adeoque omnis stipulatio fidei, obedientiaeque praestandae, non sit *regenerandi*, sed *regenerati*, & in ipso *regenerationis actu constituti*, non *justificandi*, sed in *justificationis amplexu versantis*, etiamsi dicatur BAPTIZANDUS, quoniam parva adhuc morula interest, donec aqua baptismali tingatur. Itaque opera danda, ut II. certi potius simus, & ex verbo Dei firmiter credamus, *hominem adultum*, quamprimum *verbo Dei instruitur & eruditur*, jam tum *frui operantis Spiritus*

tus

tus S. gratia efficacissima, qui verbo suo praesentissimus est, & cupiditatem baptismi suscipiendi, professionisque ibi suscipiendae ac exponendae, tanquam primum motuum sanctorum momentum sufficiens ipsi ingenerat, ac confert: Infantem vero, quam primum ad baptismum affertur, *per praedicationem evangelii*, quae ibi suscipitur, ita *praeparari atque aptari*, ut cum renunciandum est diabolo, & professio fidei edenda, revera in ejus anima Spiritus S. tale quid producat, atque generet, quod verbis ipsius nomine exprimunt susceptores, qui adeo hac in functione non saltem illud stipulantur, quod aliquando aetate paulatim crescente facturus sit infans, verum etiam id quod revera efficit & operatur Spiritus S. in baptismo: Hic vero, nisi istud fieret, lavacrum regenerationis esse ac dici neutiquam posset, sed *ritualis* saltem, ac *significativa paedagogia* esset ad id negotium, quod successu temporis in corde hominis gereretur, prout Enthusiastici spiritus somniarunt quondam & adhuc somniant.

IV.

Tertia cautela erit non minus gravis circa oraculum nostrum Petrinum, ne dum de stipulatione ac foedere sermo instituitur, *confundatur receptio candidati baptismalis in foedus Dei cum receptione in communionem externam Ecclesiae*. Quando enim homo in baptismo fide donatur, ut habeat non saltem bonam & placatam conscientiam, verum stipulationem quoque *factam* de fide servanda ineat; illud *ἐπερώτημα* ut etiam *expressum* sit, opus esse videbatur, qua de causa coram Ecclesiae facie exponenda erat tum *abrenunciatio* Satanae Dei mortaliumque jurato hosti facta, tum *professio fidei*; quo utroque ritu *abjectio diabolicorum laqueorum*, & *amplexus*

vinculi salutaris, velut pulcherrimo testimonio demonstratur & probatur. Ut adeo facilis fit conciliatio inter Interpretes nostrates, quorum una pars *ἐπερωτήματα* recusat per *stipulationem* & quidem *ore expressam* exponere, altera vero illud faciendum putat: quandoquidem cum baptismus revera sit *stipulatio* quaedam, qua uti gratia Dei confertur & obsignatur in corde fidelium, ita hi vicissim se gratos & beneficii accepti memores profitentur, illa praecisa locutione Apostolica neutiquam abutemur, sed recte potius amplitudine illius fruemur, si illud *ἐπερωτήματα* accipiamus de *stipulatione mentis tacita*, ita tamen ut non exclusam velit Apostolus *expressam oris*: quoniam utrumque saepius conjungit Spiritus Sanctus & a fidelibus exigit *fidem cordis* & simul *confessionem oris* Rom. X, 9. 10. 1. Petr. III, 15. Quemadmodum enim prius ad Deum spectat, quocum nobis in fide negotium est, ita posterius, nimirum fidei professionem, certum est tum *ad ipsum*, tum *ad Ecclesiam* referri, cui inferi atque inferri absque publica *contestatione* & *contesseratione* non potest, tum quoque *ad Diabolum coetumque infidelium*, cui verbis quoque a candidato salutis renunciandum ac valedicendum.

V.

Habemus hujus rei duo argumenta fatis valida; alterum *ex visceribus nostri oraculi Biblici*, alterum *ex parallela historia Biblica* petitum. Commemoravimus antea, quis finis ac scopus Apostoli sit in praesenti capite ac loco, nimirum cohortari fideles ad libenter *perseveranda mala* ob Christi nomen hinc inde illata, rationem ideo hanc praeter alias urget, quod haberent *bonam pacatamque conscientiam*, ad quam tuendam debeant semper esse vigilantes atque intenti v. 14. 15. 16. idque probat
tum

tum *exemplo Christi*, qui semper bonitati conscientiae operam dederit, & uti nostra vice, ita & nobis in exemplum innocentissimus voluerit mori, tum *baptismi obligatione*, qua teneantur, siquidem in eo non saltem a prava conscientia fuerint liberati, verum etiam puritatem ejus illibatam stipulati: quam stipulationem oportebat sane esse simul externam, alioqui provocari ad eam non posset; ita ut exactissime sibi respondeant comma nostrum & comma praecedens 16. In hoc enim flagitat, ut habeant fideles conscientiam, (ita malumus exponere participium, ἔχοντες συνείδησιν ἀγαθὴν, cum LUTHERO in sensu Imperativi, non Indicativi) in illo vero vinculum obligationis ad eam servandam illis ob oculos ponit. Prius evincit Apostolus ex eo, quoniam sint *bonam conscientiam* per baptismum consecuti, imo revera δι' ὕδατος, ad quod refertur τὸ ὦ, (quod non legendum aut transmutandum esse ductu quorundam Codicum in ὄ vel ἔ adversus P. COLOMESIUM notamus, cum sic multum de Emphasi Petrina amittatur, quam ille, perinde ut alii Reformati, minime erat affectus) salvati; Posterius vero ex eodem fonte probat. Unde sequitur, quando Apostolus dixit, Baptismum esse stipulationem bonae conscientiae apud Deum, eum duo gravissima momenta unica phrasi & oppositione comprehendere. Alterum *ad baptismi regenerationem & justificationem* perti- nens: quando dicit eum non esse σαρκὸς ἀπόθεσιν ῥύπης, *depositionem sordium corporis*, quid ergo? sane *depositionem sordium animae & veram ablutionem*, in remissione peccatorum & imputatione sanguinis Christi consistentem, esse oportebit. Quod Apostolus exprimit per *conscientiam bonam*, ita ut si antithesin plenariam ponas, ita se fit habitura: *Baptismus non est ablutio corporis ejusque sordium,*
sed

Obs. sacr.
n. 47. opp.
p. 604.

2. 51160

2. 74. 80

200

sed ablutio animae immundae & conscientiae pravae, atque collatio conscientiae purae & per sanguinem Christi mundificatae. Alterum vero spectans ad eius renovationem, quando ex antecedentibus, ut dictum, vult fideles convincere ad conscientiae puritatem custodiendam, argumento ducto a baptismo, quoniam in eo pacti sint puritatem conscientiae se custodituros: unde oppositio sic fluit: *Baptismus* non ideo datus est, ut sit ablutio corporis a suis sordibus, atque hoc saltem purum mundumque conservetur, verum pertinet potius ad animam, & conscientiam, ut illam immunem ab omni immunditie, prout ea est purificata & mundata, constanter tueamur, & obligationem nostram ideo factam non violemus.

VI.

*Observ. S.
obs. 47. p.
198.*

Ex hac paraphrasi ut speramus, nullo modo violenta, sed ex mente Spiritus S. sponte fluente facile apparet, qua de causa vocem *ἐπερωτήματος* adhibere Apostolum jusserit dictator sapientissimus. Scilicet illa vocula ex medio foro adducta, (quod ut probemus, opus non videmus, cum opera ista nos sublevatos videamus praeter alios ab Eruditissimi D. DEILINGII labore laudatissimo,) stipulationem non rigoroso sensu acceptam innuit, quae velut est conditionata, atque τὸ si subintellectum habeat: *Facio, si feceris: do, si dederis*; Sed laxiori quadam notione sumtam, quae loco τῶ si particulam UT velut animam sui agnoscat. **FACIO ET DO, UT DES ET FACIAS!** Haec est stipulatio Dei ad homines ex sola benignitate atque misericordia proficiscens, nullo ex nexu atque merito obligationis orta, quae dum ad homines instituitur, non solum verbo peragitur praedicato, nec nuda promissio, sed actualis collatio est, quae hominem peccatorem in eum statum deducit, quo gratiam

tiam

tiam DEI illam amplectatur, & stipulationem DEI eo fine, imo eo effectu ad ipsum factam, ut apprehendere possit, sibi applicet, ac vicissim DEO jam placato ac propitio conciliatus obedientiam fidemque perpetuam spondeat. Sic cavetur sedulo ab una parte *Pelagianismus*, quasi homo ante verbi praedicationem & Baptismi usurpationem aliquid vel tantillum ad suam conversionem conferre atque cooperari valeat, quod sequeretur, si stipulatio conditionata statueretur: Ex altera parte *Enthusiasmus*, quasi baptismus nuda sit ceremonia & ritus, cum homo jam ante eum susceptum cum DEO sit unitus, neque opus habeat nova justificatione, ut qui jam dicere & profiteri possit antequam baptizetur, ABRE-
NUNTIO, & CREDO! Vtrumque enim scopulum periculosissimum facillime sic licebit praeternavigare, cum τὸ ἐπερωτημιωα genuine explicatur.

VII.

Argumentum *alterum* ad probandum, quod in Ecclesia antiquissima & Apostolica *stipulatio quaedam & professio fidei oralis* intercesserit, ex historia Philippi & Eunuchi Act. VIII, 27. deprometur haud incommode. Nihil dubii est, per praedicationem Philippi, qua evangelium de Christo ipsi exposuit, *accensam esse fidem in corde audientis*, cum illud ipse profiteatur per vocem πισέω, quam non dicis causa saltem pronunciatam esse textus satis perspicue docet. Hac fide praesente nihilominus, imo eam ob causam, non veretur Apostolus ipsi ad ejus efflagitationem, quae jam fidei praesentis sufficientissimus fuit character, *impertiri baptismum*. Quamvis itaque hunc pro lavacro regenerationis habuerit, cur enim alioqui tinxisset Candidatum? non tamen intermittit *baptizare jam per verbum regeneratum*; & ut ejus

B

rei

rei esset certior, sciretque, quid beneficii ipsi DEus exhiberet, verum etiam, quae ejus partes futurae essent, *non eum prius baptismo tingere voluit, quam ille ad quaestionem AN CREDAT?* respondisset ore & corde prompto: ΠΙΣΤΕΥΩ Τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν. v. 37. Ex qua tota historia facile fluunt consuetaria varia ad scopum nostrum referenda I. *Adultos ante baptismum debere in verbo Dei & speciatim cognitione Christi accurate erudiri.* II. *Illam informationem, cum revera sit verbi divini praedicatio, non esse infructuosam, sed regenerationis & conversionis in homine productricem.* III. *Quantumvis ita sint regenerati, non tamen prohiberi, quin potius eo magis stimulari ad amplectendum regenerationis lavacrum, quo solenniter & cum Deo & cum Ecclesia uniantur.* IV. *Fieri itaque posse, ut homo baptizandus renunciet Diabolo & fidem profiteatur, cum non amplius sit ut infidelis spectandus, sed ut homo in statu gratiae & perceptae & amplius percipiendae constitutus.* V. *Illam stipulationem jam non suspendere gratiam Dei, sed potius ex ea percepta fluere, & hominem in baptismo percipiendo constitutum ad gratitudinem imposterum fidemque praestandam stimulare ac impellere.* VI. *Coram Ecclesiae facie talem stipulationem peragere, & quaerendo respondendoque suscipere, nihil esse, quod a veteri & Apostolico instituto recedat, aut baptismi simplicitatem violet.* Vt alia nunc brevitatis studio praetereamus, quae elicere instar rivulorum ex hoc fonte uberrimo poteramus.

VIII.

Non itaque pugnare nobiscum possunt, qui stipulationem a baptismo exclusam volunt, & per ἐπερωτησιὰ solam conscientiae fiduciam intellectam cupiunt:
Nam

Nam quis non animadvertit loqui eos *de stipulatione aliqua* gratiam DEI conferendam *suspendente*, quam tamen velut collatam in stipulatione spectandam diximus, in qua collatione fundetur promissio gratitudinis in baptizato. Et sicut tranquillitas s. *fiducia conscientiae*, quae in voce *ἐπερωτήματος* latere dicitur, non excludit conscientiae puritatem in articulo *renovationis*, sed eam potius subsequam habet, ita in illa voce utrumque momentum latere quis negaverit? Huc itaque pertinent oppositiones J. ADAMI OSIANDRI Theologi magni iudicii, quas legimus *Colleg. Syst. L. XII. Thesis.* quasque sic format: *Ἐπερωτήματα non dicit praestationem nostram, dantem firmitatem pacto divino, sed fiduciam conscientiae erga Deum; siquidem si conventionem intellexerit in qua pactum divinum ex nostra pietate vel sanctimonia dependeat, toti in eam thesin descendimus. Si vero nullum plane promissum gratitudinis ex parte baptizandi intercedere in baptismo statuerit, quod tamen ex his verbis non apparet, consentire non possumus, sed dicimus illud promissum cum fiducia conscientiae bene stare posse, imo ex ea indivulso nexu fluere, nec repugnare naturae Sacramenti; Hinc quoque sub finem hujus Theseos deductae idem Theologus gravissimus concludit: *modum hunc (interrogationis) in Apostolica ecclesia nequaquam, utut antiquitus, usurpatum esse, & concessio eodem non tamen haec erit dicti interpretatio, nisi ex consequenti: nec enim ista stipulatio requirebatur per modum alicujus conditionis praeviae sed habebant se per modum debitae gratitudinis, supposita iam virtutis baptismalis oblatione. Quae posteriora verba uti ipsam nostram thesin complectuntur, si ad oblationem etiam jungas collationem: Ita antecedentia de interrogatione in Apostolica ecclesia non usitata ex §. nostro proximo;**

ximo; quae vero *de sensu vocis* nonnisi ex consequenti addit, refutationem suam tam *ex collatione textus* antea a nobis instituta, tum *ex suffragio nostratum* optimorum Interpretum, qui illam vocem nunc per *foedus*, nunc per *interrogationem*, nunc per *stipulationem*, nunc per *confederationem*, nunc per *conventionem* & quae aliae sunt voces eodem recedentes, reddiderunt. Ex quibus ipse OSIANDER HÜLSEMANNUM, *Theologum exactissimum* adducit, qui nostrae sententiae est addictus.

IX.

Sumus itaque haecenus in ea sententia certi, ἐπερωτήματα denotare *stipulationem* s. *interrogationem cum responsione* in baptismo tum in *mente hominis*, in quo Deus fidem accendit, & motibus sanctis excitandis est occupatus, *susceptam*, tum *ore ejus expressam*. Nihil enim huic sententiae obstare videtur, nisi quod de *formulis*, quibus illa peracta fuerit, certi esse non possumus. Atqui de hoc momento non adeo laboramus, cum multa praeterea nos lateant, quae revera in prisca ecclesia gesta esse novimus, modum vero ignoramus, aut saltem ambigui sumus in eo describendo. Istud jam antea confecimus, antiquis satis temporibus abrenunciationem cum fidei professione fuisse conjunctam; unumque sine altero vix peractum esse admodum probabile est, & haud obscure ex SALVIANI loco colligimus, quem ita legimus: *Abrenuncio, inquis, Diabolo, pompis spectaculis & operibus ejus. Et quid postea? Credo, inquis, in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus. Ergo primum renunciat Diabolo, ut credatur Deo: quia qui non renunciat Diabolo, non credit Deo: & ideo, qui revertitur ad Diabolum, relinquit Deum.* Luculentum hoc testimonium est, quo evincere licet, prima statim aetate Ecclesiae

L. VI. de
gubern. Dei
p. 208.

fiae

fiae duplicem fuisse declarationem in baptismo susceptam, alteram abrenunciationis, alteram professionis fidei. Idem ex NAZIANZENO disertis verbis edocemur, qui baptismum esse *impietatis abjurationem*, & *divinitatis confessionem*, asserit, & utriusque ritus in aliis quoque locis subinde mentionem injicit. Nec aliter BASILIUS M., qui dicit, professos esse Christianos, credere se in Patrem & Filium & Spiritum S., quum renunciantes Diabolo & Angelis ejus salutiferam illam vocem ediderunt. Habemus & alios recentiores testes, qui in antiquitate scrutanda occupati fuerunt majori quodammodo *ἀνπιβεία* & sedulitate. Cum abrenunciatione conjunctam fuisse fidei professionem, eamque si adultae aetatis erant, qui baptizabantur, ipsos per se edidisse, si infantes, eorum susceptores pro se respondisse, quemadmodum etiam in renunciatione factum fuerit, asserit ex vetustis satis documentis JOANNES HOORNBECKIUS. Ita & plures, quorum suffragiis niti possemus, si prolixioribus esse liceret. Hoc addimus, BENEDICTUM ARETIUM, opportune interdum alioqui nonnulla explicantem, haud videri tetigisse per omnia nervum textus, quando scribit: *Purgationis Sacramentum esse baptismum, in quo stipulatio bonae conscientiae valeat, hoc est, quae sine hypocrisi agat serio cum Deo; Etsi enim deinceps recte pronunciet, Deo nos in gratiam recipienti, a nobis aliquid promitti, non tamen bene illam promissionem ad solam sanctimoniam vitae refert, quae potissimum ad fidem referenda erat, neque etiam formam & fundamentum stipulationis descriptione sua exhaurit, aut ex genuinis fontibus repetit, quod etiam pluribus Interpretibus evenisse videmus.*

Or. XXXII.
opp. T. I. p.
196.

L. de Sp. S.
c. XI.

Miscell. S.
L. I. c. XVII.
de baptismo
veterum.
p. 505.

Comm. in
b. l.

X.

Cum itaque in superiori commentatione priorem

B 3

78

τῷ ἐπερωτήματος actum, ABRENUNCIATIONEM nempe SATANAE, excusserimus, hoc voluptatis genus animo nostro non invidebimus, ut nunc ex monumentis satis probatae fidei deducamus, quid in ejus altera parte, nempe PROFESSIONE FIDEI gestum sit. Nihil vero nos in antecessum morari potest, quod illa nomine τῷ ἐπερωτήματος non veniat vetustis Scriptoribus Ecclesiasticis: quandoquidem nihil ipsis solennius est, quam rem in Scriptura jam descriptam alio nomine compellare, unde nihil frequentius distinctione nominum Biblicorum ab Ecclesiasticis: cum operam dederint Patres, ut instar Scholiastarum Synonymis uterentur, ad rem significantius quoad nos, exprimendam. Unde non mirum, quod actum istum, quem Apostolus τῷ ἐπερωτήματος nomine simul indigitat, ὁμολόγησιν appellaverint, vel ὁμολογίαν; procul dubio occasione ex ipso codice sacro petita, in quo ὁμολογίας confessionis seu professionis subinde urgetur recordatio & perpetua continuatio. *Conf. Hebr. IV, 14.* Atque ne gratis hoc asseruisse videamur, commode nobis occurrit JOACH. CAMERARII, viri Graece extra controversiam doctissimi explanatio loci *Hebr. III, 1.* ubi Christus dicitur Ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, objective nimirum vocabulo priori sumto, ubi ὁμολογίαν Vir eruditus pro sponsione seu promisso & convento sumtam agnoscit, atque forense verbum esse dicit, pergitque: Ἐπερωτᾷ enim is, qui stipulatur, & ὁμολογεῖ, qui spondet, atque ita convenitur verbis. Promissum igitur a Filii Dei misericordia fuit opus redemptionis generis humani, expetitum ab hujus calamitate & miseria, vel postulanti justitiae divinae fuit illud promissum. Confessione autem fidei conventio fit, ut Christiani simus & populus peculiari Dei. Et haec est Christianorum in baptismo promissio.

missio.

missio. Quae expositio satis docta & analogiae fidei non difformis est, nisi quod hoc monendum censeamus, non saltem τὸ ἐπερωτᾶν denotare quaerendi actum, sed totum simul solennitatis complexum, nimirum subsequam simul ad quaestionem datam responsum & promissionem.

XI.

Ut vero haec professio fidei in baptismo fieri rite ab adultis posset, praecedanea erat informatio Catechetica in rudimentis fidei: ad quod institutum plerumque quadraginta dies destinabantur, ut omnia eo enucleatius exponi & eo firmiter animo imbibere possent. Hanc enim consuetudinem haud obscure indicat adversus JOHANNEM HIEROSOLYMITANUM arma expediens HIERONYMUS: *Consuetudo apud nos istiusmodi est, ita scribit, ut his, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam Trinitatem: In-* nunt his verbis prolixitatem & gravitatem doctrinae illius solius Christianae, arguitque haud obscure JOANNEM Episcopum falsitatis, quod dixerit, *se per horam audiente universa ecclesia de fide & omnibus ecclesiasticis dogmatibus disputavisse: quum tamen vix multis diebus una saltem illarum doctrinarum pro dignitate argumenti tractari & edisseri possit. Atque illud tempus plerumque erat quadragesimale, cujus postrema dominica distinguebat alios Catechumenos adhuc informationem expectantes, ab illis, qui jam ea erant imbuti, atque hinc COMPETENTES dicebantur ac velut Candidati baptis-* mi, & ut de honore isti certiores essent, traditum est ipsis Symbolum ad recitandum, ut per reliquos dies illud memoriae eo firmiter mandarent. Annotat hoc praeter caeteros doctissimus BASNAGIUS & observat

T. II. opp.
Tr. ad Pam-
machium de
erroribus
Joannis Hi-
erosol. pag.
167.

Basnage
exercitat.
Auto.

*Historico-
Critic. ad
A. C. 44.
p. 488.*

*B. Rheua-
nus in not.
ad Tertull.
librum de
corona mi-
litis.*

*Theodul-
phus in Ep.
ad Paro-
chos cum
Constit. Ca-
roli M. edit.
Mogunt.
p. 214.*

Autores admodum variare in definitione temporis, quando Symbolum traditum fuerit Competentibus, quandoquidem apud Germanos tandem *quartam hebdomadem Quadragesimae* huic traditioni destinata fuisse ex AMALARIO: olim in Concilio Laodicensi *quintam feriam ultimae septimanae* ordinata fuisse ex actis illius Synodi edocet. Hoc certum est, baptismum quondam, (an aetate etiam antiquissima, non equidem asseruerimus, cum videamus Apostolos nullius temporis habuisse rationem) restrictum fuisse *ad tempus Paschale* adeo ut non nisi semel in anno solenniter administraretur, quem morem per Constitutiones Caroli M. inter Germanos Francosque eo deductum esse docet BEATUS RHENANUS, ut bis in anno susciperetur. In his tamen constitutionibus istud nondum deprehendere potuimus; hoc vero animadvertimus ex THEODULPHI AURELIANENSIS Epistola, qui Caroli M. & Ludovici Pii tempore vixit, summopere procuratum fuisse, ne per ipsam solennitatem dilatam infantes salutari lavacro spoliarentur, quandoquidem ordinatum est, *non esse denegandum baptismum paruulo aegroto, ad quemcunque etiam pastorem allatus fuerit. Noverit se ille, additur, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum.*

XII.

Si quis itaque Salvatoris augustissimum mandatum de erudiendis gentibus recte pensitaverit, & quid sit τὸ μαθητεύειν Christi, expenderit, videbit equidem Ipsum non exclusos voluisse infantes ab eo quoque actu, quandoquidem vox illa non simpliciter *erudire* vel *docere* denotat, sed generatim *in discipulum aliquem cooptare*, quod meminimus aliquando a WINKLERO Theologo

logo

logo Hamburgensi celeberrimi nominis aliisque adversus Fanaticos Paedobaptismi ofores & rofores non uno argumento evictum & demonstratum fuisse : figillatim tamen respexisse ad subjecta informationis capacia, adultos nempe homines, ita vero, ut eapropter non denegandum baptismum vellet infantibus, multum enim diversi sunt actus *μαρτυρέειν* & *βαπτίζειν*, quorum alter limitationem admittet, alter minus. Multum itaque operae posuit prisca Ecclesia circa erudiendos Catechumenos & Candidatos baptismi. Nihil elegantius jucundiusque animo occurrere potest, quam si in GREGORIO NAZIANZENO, BASILIO, AUGUSTINO aliisque Patribus legamus svavisimas allocutiones, quibus ad homines baptismum desiderantes usi fuerunt, & necessitatem pulchritudinemque tum illius tum doctrinae Christianae, prius ab illis percipiendae, descripserunt. Adeo ut ex fide dignis monumentis constet, ordinem quoque in docendo satis concinnum plerumque observatum fuisse in exponendis fidei capitibus praecipuis. Quisquis etiam sit *Autor Constitutionum Apostolicarum*, quae vulgo, perperam tamen Clementi attribuuntur, docere tamen nos potest ordinem docendi Seculo IV. aut V. receptum. Adjiciemus verba ex interpretatione CAROLI BOVII, quae cum TURRIANI versione ad manus est, hancque in nonnullis superat : *Qui in sermone pietatis instituendus est, erudiatur ante baptismum cognitione Dei ingeniti, instruatur etiam notitia Jesu unigeniti, & fide de Spiritu Sancto : discat variarum creaturarum ordinem, providentiae seriem : diversarum legum judicia : erudiatur, cur mundus conditus sit, & quamobrem homo mundi civis sit constitutus : agnoscat naturam suam, cujusmodi sit : instruatur, quemadmodum Deus vitiosos punivit aqua & igne, Sanctos*

C

ctos

Etos honoravit, in qualibet aetate sanctitatem praestiterunt: quemadmodum sua providentia non avertit se Deus ab humano genere, sed id per diversa tempora ab errore, & vanitate ad cognitionem veritatis revocavit, transferens a servitute & impietate ad libertatem & pietatem: ab injustitia ad justitiam, a morte perpetua ad vitam aeternam. Haec atque hujusmodi discat in Catechesi, qui ad baptismum accedit. Deinde cum se jam ad baptismum parat Catechumenus, discat illa, quae dicuntur de abrenunciando Diabolo & de aggregando se Christo.

XIII.

Maluimus verbis illis plenius recitandis ideo inhaerere, quoniam hac ratione aliquod *Systema credendorum antiquum* exponitur, verum non ita exacte, ut non aliqua in eo desiderari possint, quae nihilominus Catechumenis exposita fuisse admodum confectum est. Doctrina enim de *merito Christi, & justificatione hominis peccatoris coram Deo*, cum in antiquissima Ecclesia non obscure fuerit proposita, hic satis implicite tanguntur, alia ut taceamus. Nam de illis doctrinis, maxime fundamentalibus, non male instructos fuisse veteres, patet ex *Systematibus credendorum* priscae Ecclesiae, qualia nobis dederunt B. BEBELIUS, DANNHAUERUS, & alii, & deprehenduntur quoque in Catechesibus antiquissimis CYRILLI, ut dubitari de ea re non facile queat. Defectus itaque ille non ad ipsam institutionem, sed ad recensentem Scriptorem constitutionum illarum recidere videtur. Multa enim industria interposita ab orthodoxis rem gestam esse, perquam certum est, adeo *ut jejuniis* crebris impositis animum Catechumenorum ad meditandas res sanctiores adveserent, aliaque *exercitia* graviora eos subire juberent, quod

quod praeter alios non postremo eruditionis apparatu Praesul Galliae notissimus GABRIEL ALBASPINAE-^{Observat.} us edocuit variis observationibus interspersis ex Lecti-^{S. L. II. Obs.} one Scriptorum veterum, ubi de poenitentia Catechu-^{I. & II. p. 77.} menorum agit, dummodo non plurima ad colorandum cultum Pontificium traheret. Idem observat istam in- formationem hausisse Catechumenos a certis viris ab ecclesia ad id munus destinatis. *Erant vero, scribit ille,*^{p. 82. Obs. I.} *ab Episcopis quidam constituti ac declarati moderatores, penes quos erat cura Catechumenorum erudiendorum, quibus rudimenta fidei traderent: Postea in Ecclesiam ingressis, augustiora quaedam & speciosiora de fide & ab humana quasi intelli- gentia remota mysteria proponebantur: pro qua diversitate informationis diversam etiam Catechumenorum poeni- tentiam fuisse asserit, de qua vero re hic non disquire- mus, cum nostri non esse instituti videatur.*

XIV.

Quodnam istud Symbolum fuerit, quod tradidit prisca ecclesia catechumenis baptizandis ad recitandum nondum satis constare videtur. Multi militant pro Sym- bolo Apostolico, eique tanquam vetustissimo, hanc di- gnitatem tribuunt, quibus vero deest robur ad proban- dam illius antiquitatem: HERMANNUS WITSIUS a baptizandis in initio Christianismi aliam non exactam fuisse fidei professionem a simplici illa, qua se credere dicerent in Christum, sive in Patrem, Filium & Spiritum S. asserit, & ex baptisate illorum, de quibus agitur in Actis Apostolicis, proba- re intendit, verum videtur vir eruditus miscere ipsam pro- fessionem fidei cum praevia informatione, haec enim ad Symboli alicujus ductum, tametsi non illius, quod Apo-^{Exercitat.} stolicum dicitur, fieri potuit; imo etiam probabile est,^{I. in Symb.} non semper professionem fidei ipsam adeo paucis ver-^{Apostolic.} bis^{§. 10. & 13.}
^{p. 6. & 8.}

bis constituisse, ut non prolixior ejus expositio institueretur. Idem porro repetit, *in prima Christianismi simplicitate nullum aliud Symbolum inveniri praeter id, quod Christus tradidit Matth. 28, 19. Ite & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine P. F. & Sp. S.* Atque hoc Symbolum esse nudum fundamentum, ad quod antiqui Patres saepe provocaverunt, paulo post asseverat. ATHANASII sane verba sunt satis gravia: *Summam & corpus totius nostrae fidei contineri in verbis Baptismi & fundari in illa Scriptura: Ite & baptizate omnes nationes in nomine Patris & F. & Sp. S.* Idem & apud alios Patres occurrit. Verum non exinde evincet VVITSIUS, quod tamen evincere intendebat, nimirum nec adfuisse ideo Symbolum, nec adesse salva integraque Christi institutione potuisse. Nam & nunc fundamentum fidei illa verba constituunt, nil tamen vetat, quominus Ecclesia Symbolis se adversus omnem infidelitatem muniat, quin potius istud requiri ab ipsa necessitate videtur. Neque credimus, simplicitatem Ecclesiae antiquissimae in eo repositam fuisse, quod nullo plane Symbolo gavisa fuerit, tametsi libenter concedamus VVITSIO, crescentibus cum tempore haeresibus Symbola ista amplificari, vel potius ad falsas doctrinas eliminandas, restringi & limitari debuisse.

XV.

Sicut itaque Symbolum Apostolicum Catechumenis non saltem inculcatum, verum etiam ab ipsis in baptismi solennibus pronunciatum fuisse, plurimorum, praecipue qui Pontificiorum partibus addicti sunt, sententia est, prout ex *Ordine Romano* ipso patet, quo a Catechumenis recensio Symboli fidei Catholicae, quod Apostolicum dicitur, exigitur, quamvis sub eo nomine Sym-

Bibl. P. P.
M. T. X. p.
42.

Symboli fidei Catholicae non Apostolicum sed Constantinopolitanum intelligi existimet SAMUEL BASNAGIUS in exercitatione antea allata, rationes vero hujus asserti reticeat. Vel ipsa vero Symboli vox Patribus antiquissimis recepta ex judicio GERH. JOH. VOSSII, solertissimi harum rerum indagatoris, ex tessera contractuum originem hausit, & quaecumque fuerit, *tessera* jam quondam *pacti* fuit, quod in baptismo homines cum Deo ineunt: vel tabula, qua cum imperatore nostro paciscimur, eique nos obstringimus, ut milites Sacramento solent. Atque hoc modo confessionem fidei nominat ORIGENES *Symbolum lustrationis & purificationis*: Recteque refutat idem VOSSIUS PARKERUM & alios ex ipsius fidei fociis, qui per Symbolum nihil aliud, quam *signa Sacramenti*, & quidem sensu Reformationum accepta intelligunt. Quod oppido falsum, cum potius *regulam* aut *complexum* fidei, in baptismo profitendae denotaverit; si nonnunquam *materiam* Sacramenti terrestrem denominant hac voce Patres, *signum* intelligunt *exhibitivum*, non nude *σημαντικὸν* Symbolum, quod alibi vindicatur. Hinc notae illae Patrum Latinorum voces, quando & *Symboli* & *Professionis Symboli* hinc inde mentionem injiciunt: Ita HILARIUS: *Con-L. XII. de Trin. serva hanc conscientiae meae vocem, ut quod in regenerationis meae symbolo baptizatus in Patre & Filio & Spiritu S. professus sum, semper obtineam*: Quae verba Gerb. Job. Vossius de tribus Symbolis n. XX. p. 16. recte dum explanat VOSSIUS, simul locum nostrum Petrinum bene assequitur, scribitque: *Hilarius in Symbolo se dicit professum & vocat vocem conscientiae. Ubi respicit, quod Petrus baptisma appellet συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερωτημοῦ. Et eodem respiciens Tertullianus de resurrectione carnis ait: Anima non lotione, sed responsione sancitur. Nempe*

ἐπερώτημα *responsionem reddit, quia stipulatio interrogatione & responsione constat: nec tam interrogatio Dei, quam subsequens responsio animae intelligitur.* Quae verba declarant, VOSSIIUM locum Petrinum quodammodo sobrie expendisse: Miramur vero e contrario SVICERUM in magno apparatu suo nostrum ἐπερώτημα, quod ex Patribus adeo illustrari prae multis aliis argumentis merebatur, plane intactum praeteriisse.

XVI.

In tanta vero incertitudine qualinam Symbolo u-
sa fuerit vetustissima Ecclesia Christi, ad professionem
fidei edendam, suffecerit nobis, si annotaverimus, in eo
conspirare ad unum omnes, quod in Symbolo il-
lo, quale etiam fuerit, *articulus de SS. Trinitate* pro prae-
cipuo habitus, aut saltem verbis inprimis baptizatis
expressus sit. Nam & antea laudatus VOSSIUS eru-
dite demonstrat, Orientales Ecclesias ante & praeter
Symbolum APOSTOLICUM sic dictum aliud habuisse,
cujus formula sic forte se habuerit: *Credo in unum Deum*
Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium fa-
ctorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei
unigenitum. Qui propter nos homines & nostram salutem, de-
scendit de coelis, & incarnatus est, & homo factus, passus est,
& resurrexit tertia die a mortuis, & adscendit in coelos, &
idem venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum San-
ctum. Quale Symbolum dudum ante Nicaenum vige-
nisse probat, & in nonnullis etiam cum Hierosolymita-
no verbis convenisse, quod CYRILLUS suis explana-
verat, nisi quod in hoc multo plura adhuc adderentur.
Aliud Symbolum, verum multum verbis diversum, apud
TERTULLIANUM legitur. Probabile interea est, istud Sym-
bolum qualecunque fuerit, per τὸ πῶς ἐβουλίσθη initium sum-
fisse,

l. c. p. 32.

*de Prae-
scription.
c. 13.*

fisse, & ad omnes tres personas Trinitatis earumque beneficia extensum fuisse, nonnunquam brevius, nonnunquam prolixius, pro quaerentis aut profitentis aut aliarum circumstantiarum diversitate. Et graviter merito urget DEUTSCHMANNUS, Theologus Academiae nostrae olim meritissimus, illam formulam in singulari numero conceptam & velut individualem, probatque praeter alios antiquitatis fontes ex AMALARIO, quod singulis Catechumenis pro se & sua persona quaesitis *Explic. Symboli Apostol. p. 22.* Cre-disne? respondendum fuerit ad omnes & singulos fidei Articulos: Credo. Atque ad hanc singularem vel personalem quaestionem & responsionem illustrandam refert nostrum Oraculum Petrinum, in quo sicuti unusquisque sua fide vivere debet, ita quivis suae conscientiae testimonium perhibere debeat. Petrus etiam, inquit Vir Beatus, per ἐπερώτημα interrogationem & stipulationem bonae conscientiae nihil aliud indicare videtur, quam singularem & personalem quaestionem, cujus iudicium cur magnificiamus, causas fonticas habemus.

XVII.

Hoc itaque figillatim requirebatur a confitente, ut Trinitatem expressis verbis se credere testaretur. Hinc operosissimi Patres fuerunt, ut illum Articulum, quam posset fieri, luculentissime, maximeque dilucide exponerent & edocerent, nec facile inter doctiores est, qui non manum operi admoverit, ut tot haereticorum fraudibus obviam iret, & orthodoxam fidem tueretur. Ita TERTULLIANUS ablutionem delictorum *obsignari* dicit in Patre, Filio & Spiritu S. *Nam si, pergit, in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem, eosdem arbitros fidei, quos & sponso-*
res

res salutis, sufficit ad fiduciam spei nostrae etiam numerus nominum divinorum! Quum autem sub tribus, & testatio fidei, & sponsio salutis pignorentur, necessario adjicitur ecclesiae mentio, quoniam ubi tres, id est Pater & Filius, & Spiritus S. ibi ecclesia, quae trium corpus est. Annotat ad hunc locum TERTULLIANI non plane ineruditus CAROLUS MOREAU, Zenonem Veronensem Baptismum ob illam confessionem Trinitatis dicere *denarium aureum triplicis numismatis unionem signatum*, & egregie exprimi firmitatem sponsionis cum Deo in ita inviolabilem haud invitus fatetur; Ubi simul ritum animadvertimus TERTULLIANI tempore jam receptum fuisse, quo baptizandus etiam interrogatus est, post professionem fidei de SS. Trinitate, an credat Sanctam Ecclesiam Catholicam? quam interrogationem cum priori conjunctam fuisse testis est AUGUSTINUS & HIERONYMUS, eo procul dubio fine, ut hac professione testetur catechumenus, se desiderare vehementer in coetum illum fidelium recipi & cooptari.

Moreau
Omniloquio
Tertulliani
T. I. p. 128.

XVIII.

Factum exinde credimus, quod ad trinam immersionem seu adspersionem soliti fuerint baptizati suum *πίεω* trina vice iterare. Nam etsi nonnullis persuasum videatur, professionem fidei non saltem mox cum *abrenuntiatione junctam*, verum etiam *ante ipsam tinctionem* semper susceptam fuisse; prius tamen uti in antiquorum Scriptorum autoritate fundatur, ita posterius negandum censetur. Nonnunquam enim inter ipsam immersionem fiebat professio, & cum singulis repetitionibus quaestio de fide ad unam Trinitatis personam dirigebatur. Patere hoc potest ex descriptione AMBROSII, qui *tribus distinctis vicibus* quaesitum, & mox singulis vicibus

vicibus etiam tinctum commemorat: *Interrogatus es: Credo in Deum Patrem omnipotentem? dixisti: credo: & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus? dixisti: Credo, & mersisti: ideo & Christo es confepultus. Qui enim Christo confepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum Sanctum? dixisti: Credo. Tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absol-
veret trina confessio. Illustratque hanc meditationem ulterius ab exemplo PETRI, qui post trinam abnegationem vicissim trinam amoris sui confessionem Christo post conversionem exhibuerit, et ostendit, cum in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizemur, nos nihilominus in uno nomine baptizatos esse; ne haeretica διόλυσις essentiae divinae supponeretur. Sub qua trina immer-
sione trinaque professione cum ex Christi expresso institu-
to derivari nequeat, sed libertati Ecclesiasticae debeatur, triduum mortis Christi resurrectionem antecedens re-
praesentari & adumbrari, credit antea citatus CAROLUS MOREAU loco jam adducto. Aliter illam trinam iterati-
onem interpretatur AUGUSTINUS, & ad tres dies Christi memorabiles respici arbitratur, nimirum diem passi-
onis, descensionis & resurrectionis, quae distributio non ge-
nuina esse deprehenditur. Nos simpliciter credimus, ad Trinitatis personas oculos suos convertisse primos
Christianos, ita ut voluerint per omnia & quam exa-
ctissime respondere formulam confessionis formulae bap-
tismali, atque sic acceptare candidatum baptismi omnia be-
neficia ejus, vi institutionis ipsi promissa & exhibita, &
simul enunciare verbis fidem, qua sibi illa beneficia ap-
plicet. Unde pulcherrima nomina illius formulae,
quando ATHANASIUS eam τρισμακαριωτάτην ὀνομα-
σίαν*

L. II. de Sa-
crum. cap.
VII. T. V.
opp. p. 268.
Ed. Rom.

Serm. XC.
de tempore.

D

σίαν

σίαν terbeatissimam appellationem s. nomenclaturam nominat: OPTATUS MILEVITANUS baptismum compellat aquam, quae de trium nominum fontibus inundet. Nemo vero melius, quid sit baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus S. explicavit ex Patribus, quam BASILIUS M. L. I. de Baptism. c. II. quibus alii jungi, & de tota rei summa B. BEBELII Antiquitates Ecclesiae Seculi IV. a Lectore cupido conferri possunt.

Bebel. Antiquit. Ecclesiae Sec. IV. li IV. a Lectore cupido conferri possunt. Art. 8. Sect. I. p. 279.

XIX.

Hoc adhuc animadvertimus, summam adhibuisse quondam diligentiam Episcopos orthodoxos, ne aliquid aut in formulam baptismalem aut confessionem se infinuaret, quod doctrinae de Trinitate ullo modo esset injurium, aut Arianis, vel aliis Haereticis illorum seculorum faveret. Factum enim est subinde, ut hi, qui erant fraudulentum animo in illa formula aut aliquid adderent, aut detraherent, aut mala fraude immutarent.

Athanas. Orat. III. adversus Arr. T. I. opp. p. 413.

Ita non praeter rem male fert ATHANASIUS, quod Arianis nunc baptizarent in nomine ἀγεννήτης καὶ γεννητῆς, nunc in nomine ἀκτίστου καὶ κτίσματος; nam graviter demonstrat, neque licere in formula illa alia nomina substituere, nec etiam aliquam personam omittere, multo minus virus suum blasphemum ibi effundere, aut per illa nomina hominibus inculcare, quod pessimi illi mortalium facere tentabant. Ita EPIPHANIUS de MARCOSIIS, (quorum initiationes & tantum non blasphemii conatus simillimi erant impietati sub pietatis specie se efferenti ante aliquot annos in turba Fanatica per oras varias diffusa,) IRENAEI relationem confirmat, quod homines ad baptismum allatos loco nominum SS. Trinitatis hac formula tinxerint: Ἐἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς Ἀλήθειαν μητέρα πάντων εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν εἰς

Epiphan. Haeres. XXXIV. p. 255.

εἰς ἔνωσιν καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων:
In nomine ignoti Patris omnium, in veritate omnium matre,
in eo, qui in JESUM delapsus est; in unione & redemptione
communioneque virtutum. Imo ipse nonnullos etiam He-
braicas voces vel potius Barbaras admiscuisse narrat, ut
aliquem honorem in initiatis concitarent, quales erant;
Βασιμα, χαμοσση, Βασιανορα, μισαδία, Ραδα, Κεσα,
Βαβοφορ, Καλαλθεϊ. Quarum vocum haec sit senten-
tia: ὑπὲρ πάσαν δύναμιν τῆ πατρὸς ἐπικαλεῖμαι Φῶς ονο-
μαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἀγαθόν, καὶ ζωὴ ὅτι ἐν σώματι
ἐβασίλευσα. *Supra omnem virtutem Patris lumen quod vo-*
catur, imploro: nec non & Spiritum bonum & vitam, quoniam
in corpore regnasti. Talia plura retulit ipsorum Marco-
fiorum Antistes, respondendum erat initiato sacris: ἐση-
ριγμα καὶ λελύτρωμα, καὶ λυτρεῖμαι τὴν ψυχὴν μου ἀπὸ
τῆ αἰῶνος τῆς τῆς, καὶ πάντων τῶν παρ' αὐτῆ ἐν τῷ ὀνόματι
τῆ Ιαῶ, ὅς ἐλυτρώσατο τὴν ψυχὴν αὐτῆ εἰς ἀπολύτρωσιν
ἐν τῷ χριστῷ τῷ ζῶντι. *i. e. confirmatus sum ac redemptus:*
& anima mea ab hoc Seculo omnibusque quae ab eo sunt, re-
dimitur in nomine Jao, qui ipsius redemit, animam in redem-
tionem in Christo vivente. Quo facto initiatus opobalsamo
perunctus est, vel etiam aqua oleo fragrantissimo tem-
perata adpersus, quod redemptionem nominabant mise-
ri homines, qui in Enthusiasticis hodiernis Witgensteinen-
sibus & aliis sui adeo similes post se relinquunt, ut vix
ovum ovo adeo respondeant, quam illi invicem. In-
felices animae quibus volupe est in coeno illarum do-
ctrinarum deviarum volutari. His vero ΕΡΙΡΗΑΝΙΟΥS
recte orthodoxae fidei professionem loco citato oppo-
nit: τῇ αὐτῇ τῆ Σωτῆρος διδαχῇ καὶ τῶν αὐτῆ Αποστόλων
σαφῶς ἡμᾶς διδασκόντων, ἕνα ὁμολογεῖν Θεὸν πατέρα,
παντοκράτορα τῶν ὅλων, καὶ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν,

καὶ τὸ ἅγιον αὐτῷ πνεῦμα, μίαν ἁγίαν τριάδα ἄκτιστον, τῶν ἄλλων ἀπάντων ἐξ ἑκ ὄντων γενομένων μετὰ πατέρα, καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. Istaque porro dicit *sanctissimis viris Propbetis, Evangelistis & Apostolis sine ulla ambiguitate credita confessaque fuisse & sine ullis talibus praestigis & artibus, quibus vertiginosi illi spiritus dediti fuerint, hosque tandem dipsadibus adeo venenatis viperis comparat, ut vel bibendo aquas inficiant, & omnibus bibentibus animantibus hominibusque lethales reddant, & nihilominus tamen & infectis vehementem sitim conferant, ut quo plus de illa aqua biberint, eo plus desiderent.*

XX.

Coeterum interdum hunc professionis fidei ritum fuisse *conjunctum* cum confessione peccatorum ex *Tertull. L. de Baptism. c. II.* testimoniis antiquorum colligitur. TERTULLIANUS scribit: *ingrediendum esse Catechumenis baptismum cum orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus, pervigiliis, & cum CONFESSIO NE OMNIUM retro DELICTORUM, ut exponerent etiam baptismum Joannis, de quo dicatur: Tingebantur confitentes delicta sua.* Perinde GREGORIUS NAZIANZENSIS *Oratione XL.* saepius adducta *suasor est Catechumenis, ne vereantur accessuri, baptismum aut grave sibi ducant, confiteri peccata sua; ut per hujus vitae pudorem futuri seculi pudorem ignominiamque fugiant.* Unde apparet, eos etiam peccata clanculum commissa in confessione Antistiti exposuisse. Verum ad confessionem fidei, quae aut proxime cum confessione conjuncta, aut inter ipsam confessionem instituebatur, non pertinuisse illam peccatorum confessionem, sed potius ad *praeparationes poenitentiae*, quibus Catechumeni exercebantur antequam ad baptismum admitterentur, certi sumus, & refert hoc inter illa ἀσκήματα suffragio aliorum quoque

que

que Patrum antea allatus ALBASPINAÆUS quae ali-
 quot diebus ante Baptismum fuerunt transacta. Neque L. II. Obs.
I. p. 79.
 tamen negaverimus, tum in Baptismo Johanneo, tum
 alibi non nunquam indivulso nexu illum ritum confi-
 tendi peccata cum professione fidei fuisse copulatum,
 quod vel exemplo *abrenunciationis Franconicae* patet in co-
 ronide prioris Dissertationis allata, ubi speciatim confi-
 tentur Catechumeni, in qua superstitione quibusque
 flagitiis antea aetatem triverint, & recte adeo AUGU-
 STINUS conjungit *Confessionem fraudis cum confessione lau-
 dis*, quoniam si non tempore semper, re tamen ipsa in-
 vicem se insequantur.

XXI.

Quod reliquas ritus hujus circumstantias attinet,
 pro instituti ratione licebit brevitate uti: Ita jam antea,
 ubi de abrenunciatione egimus, observatum est, a ba-
 ptizandis in illa ἀποτάξει vultum *versus occidentem*, in
 professione vero fidei *versus orientem* plerumque fuisse
 directum: Hoc ex DIONYSIO AREOPAGITA aliis-
 que si non vetustissimis, aliqua tamen & insigni qui-
 dem vetustate gaudentibus, & hac in parte satis valenti-
 bus Scriptoribus, quodammodo comprobatur. Ita JOSE-
 PHUS VICE COMES in descriptione rituum baptisma-
 tis, Catechumenorum Confessionem in tabulas reda-
 ctam, & subscriptam ab illis, vel etiam simul annulo ef-
 se obsignatam commemorat, quod vero, cum apud Scri-
 ptores veteres fide dignos tale quid non occurrat, in
 dubium vocat HOORNBEKIUS loco allato, qui in reli-
 quum ipse fallitur, quando ritum exorcismi absque ul-
 la cautione & restrictione ad ritus supersticiosos & ina-
 nes refert, quod secus se habere nostrates adversus Re-
 formatos, aliosque qui hac in parte cum ipsorum sen-
 ten-

l. c. p. 50.

tentia conspirant, evicerunt. Imo jurejurando solenni se obstrinxisse Catechumenos, ut in confessione fidei edita per universam vitam perseverarent, asseverat supra adductus D. MEIERUS, nullo tamen testimonio antiquitatis in fidem asserti suppeditato. Omnia coeterum instituta eo collimasse videntur, ut stipulationis tam arduae, & non modo verbis sed etiam conscientia ipsa peractae, nexus ab oculos baptizato poneretur, ac edoceret, quam cautus & ferreus adversus omnes diaboli insidias & fraudes esse debeat, si forte ad fidem abjiciendam ab ipso fuerit tentatus. Unde tot admonitiones PP. ad foedus cum Deo accurate servandum.

XXII.

p. 62. l. c.

Haec itaque sic agebantur *cum adultis*, qui rationis usu instructi pro se respondere, fidem testari, baptismum efflagitare, atque adeo stipulari bene poterant. Verum quid hoc *ad infantem*, qui actus illius solennis ignarus, functiones tantas obire nequit? Sane multum, quandoquidem si licuit, imo par fuit, ut etiam adulti operam adhiberent SUSCEPTORUM, qui ipsorum nomine baptismum peterent, & fidem sponderent; quidni liceret, imo aequissimum esset, ut cum infantes eo loquela & rationis facultate non sint instructi, Sponsores illorum nomine stipulentur. Optat hic antea adductus MEIERUS, *interrogationes & responsiones baptismales in agendis Ecclesiasticis tales praescribi, ut planius, plenius & distinctius baptizans a baptizando vel baptizandi interprete fidem & bonam conscientiam vicissim Dei nomine, remissionem peccatorum, gratiam Spiritus S., hujus & futuri diei felicitatem, annunciet: Optat quoque in Catechizationibus publicis atque privatis, nec non pro concione, nos frequentius foederis baptismalis commones fieri, & quidem sub distincta & expressa*

sa

sa formula foederali, sed ea ita nec esse instituta, nec fieri, dolet, ac inter naevos Ecclesiae nostrae ex neglectu Synodorum anniversariarum, quas Oecumenica prima Synodus Nicaeae habita Canone quinto instituit, orientes, refert. Ut hoc votum Viri impleretur, conati nonnulli sunt subvenire ac opem ferre consilio redintegrandae & invehendae CONFIRMATIONIS, qua puellae & pueri adulti ad usum Coenae primum admittendi foederis in baptismo initi commoneantur & coram universa ecclesia symbolum fidei suae edant ac recitent. Quod vero cum privatim perinde fatisque fieri possit, atque antiquissimam aetatem tale quid perpetuo suscepisse non constet, & praeterea facile exinde fictitium Confirmationis Sacramentum, quo Pontificii superbiunt, irrepere queat, haecenus ecclesia purior illo ritu caruit, nec adeo ejus desiderio fertur, tametsi non saltem multi inter Reformatos, figillatim HERMANNUS WITSIUS, & in nostra ecclesia aliqui, re tamen forte nondum recte pensitata, pro laudatissimo instituto agnoscant, imo etiam proprio ausu tale quid suscipere non vereantur, correcti tamen ideo, quoniam ad tales ritus, etiam ut videri possunt, laudabiles & pios introducendos, major & prudentia & consensio, & autoritas requiritur, quam ut cujusvis arbitrio ausuique relinquuntur.

Exposit.
Symbol. A-
postolici
Exerc. III.
P. 43.

XXIII.

Fructus hujus confessionis fidei multiplex est atque insignis. Non equidem *immortalitas* hujus vitae exinde paratur, quam baptismo suo tribuebat MENANDER, & omnibus a se suisque baptizatis eam pollicebatur, & adversus quem TERTULLIANUS graviter disputat, stoliditatisque convincit exemplo hominum etiam Sanctorum, quibus fato decedendum fuerit. Neque etiam

Cyrrill. L.
VII. contra
Julian. p.
248.

etiam sanatio corporis a lepra aliisque morbis etiam contagiosis, exinde conciliari potest, ob quam rem JULIANUS totam solennitatem baptismi, impio ore ac calamo proscidit & turpiter calumniatus est, ex merito ideo refutatus a CYRILLO gravi ejus Antagonista. Obviam enim ipsi procedit sermone pio & disertio, ostenditque non esse admirationis causam, si tale quid non praestet baptismus, cum scire debeamus ejus vim esse ἀπόρρητον ἢ ὑπερφυσῆ ineffabilem & supra omnem naturam positam, adeoque si Christo sic visum esset, facile etiam illud in corpore praestitutum, quod in Anima praestet, & aliquando in diebus carnis abunde praestiterit: Usus itaque longe ampliorem Baptismi, in eo positum esse demonstrat, quod per ipsum non saltem φράσαντες τὸ ἐρῶσαί τῶν δαιμονίων ἀγέλαις, καὶ πᾶσαν αὐτῶν πομπὴν καὶ λατρείαν ἐμφρονέστατα διαπτύσαντες, *ad Deum convertamur, verum omnium parentem, ac conservatorem, & fidem ὁμολογῶμεν τὴν εἰς τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, atque per illam fidem in Christum justificemur.* Quem fructum baptismi gravissime deinceps illustrat, & impio illi homini ob oculos ponit. Sufficit itaque per istam professionem fidei testari baptismi Candidatum, se nunc toto pectore *in Deum credere, se esse Christo soli consecratum, & foedere perenni ac immortalis devinctum, & memoriam ejus velle constanter tueri, nihilque sponte admittere, quod vinculum illud temere violare possit.* Hac enim denunciatione mire gloria Dei augetur, quam institutione Baptismi intendit, voluitque ut illi mandato exacte obtemperaretur, sub certitudine, quod Sacramentum istud suam vim & efficaciam nobis vel non cogitantibus sit exhibiturum, cum non a dignitate vel indignitate, fide vel in-

in-

incredulitate, aut baptizantis aut baptizandi dependeat, sed ideo datum fit, ut nos ex indignis dignos, ex incredulis fideles & credentes constituat ac reddat.

XXIV.

Cessat itaque figmentum ecclesiae Pontificiae *de caractere indelebili Baptismi*, qui animae ibi imprimatur, ita ut propter illum inhaerentem non opus sit Baptismi iteratione, nam omnes illi actus gratiae divinae regenerantis ungentis, signantis, confirmantis etsi vere fiant in anima, *obliterabiles* tamen sunt & *transseuntes*, *amisibiles* per peccata proaeretica, adeo ut illud *ἐπερωτήματα* etsi ratione Dei *indelebile* & *immutabile* sit, ratione nostri subinde imo quotidie renovatione & *redintegratione* opus habeat, quod cum fieri possit per verbum, non opus erat aliqua iteratione baptismi. Crediderimus itaque Patres Tridentinos cum ignarissimis ignoravisse, quid statuerent, quando Sess. VII. Can. IX. isto fulmine circumstrepunt: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismate scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit!* Nondum enim reperti sunt ex ipsis subtilissimis Doctoribus Pontificiis, qui accurate definirent, *quale Ens* crederent esse *characterem illum*, utrum ad *Substantiam*, *qualitatem* an *relationem* pertineret: et si *qualitas*, cuiusnam speciei? invicem enim pugnant hoc in argumento, & ex hoc caractere quaevis faciunt; item qui nobis describerent, an *animae ipsi* an *facultatibus* inhaereret, & si hoc, an *voluntas*, Chamier. an *intellectus* illius *δεκτικόν* haberi debeat? velut hanc asserti inconstantiam & contradictionem Doctorum Pontificiorum excusit DAN. CHAMIER in *Panstratia Catholica*, CHEMNITIUS in *Examine Tridentini Concilii*, & ANDREAS RIVETUS in *Catholico Orthodoxo*, aliique plures hic lon-

E

go

go ordine non recensendi. Valeat itaque fabula illa, & Autoribus suis relinquatur: non enim nunc demum pyxidi Pandorae doctrina Romanensium comparari coepit, utpote ex qua innumera prodierunt, quae in humanum genus tantum non malis infinitis obruere solent. Longe alio sensu veteres de charactere & symbolo Baptismi loquuntur, & innocentiori mente, quando crediderunt, per baptismum & ei adjunctam professionem fidei, fidelem non saltem a Deo cognosci, verum etiam coram hominibus ab infidelibus dignosci.

XXV.

Fructus tandem hujus doctrinae, de qua disquisivimus, erunt ut speramus largissimi, quorum nonnullos saltem sollicita manu instar mesis colligemus, I. ut cognoscamus *Baptismum in ecclesia nostra evangelica esse genuinum*, in qua professio genuina adhuc vigeat, tametsi cum infantibus negotium geratur, quod perperam suggillat antea adductus CHAMIERUS, cum fides infantum res sit ab omnibus temere & frivole judicantis mundi oculis quam remotissima, quod argumentum adeo perspicue adversus negantes a nostratibus deductum, ut nostra luce hic non indigeat. II. Ut videamus *quam aequum sit, ut in actu Baptismi omnia decore & graviter utrinque gerantur*, cum profiteri fidem nihil aliud sit, quam homagium Deo praestare, quod non debebat perfunctorie ac breviter tractari, adeo ut par sit subinde susceptores aliosque homines velut parentes & adolescentes, de foederis baptismalis natura & indole publice privatimque moneri. III. *ut attendamus ad doctoris & ministri ecclesiae arduum munus*, & rationes ejus gravissimas, interrogantis enim & respondentis hic eadem sunt partes, adeo ut dum baptizandos de fide servanda & profitenda compellat, se ipsum velut simul alloquatur, & quid stipulatus fuerit fidei subinde ad animum revocet; duplicique sic nomine ad *ἐπερώτημα* bonae conscientiae servandum tuendumque se accingendi causas praegnantissimas ob oculos versari videat. IV. ut videamus *Professionem illam fidei turpiter in abusum trahi a Pontificiis*, quando isto nomine nunc ipsis venit Ingressus in ordinem monachalem & obstric-
ctio

ctio ad regulas ac vota solennia: quae res universa eo magis in fraudem baptismi & injuriam meriti Christi, jacturamque fidei salvificae excogitata est, quo magis ad stabiliendum operum meritum pertinere deprehendas. *Baptismi opus multo sublimius est & praestantius, quam ullum opus factum ab ullo divorum aut hominum, sed enim hic omni studio occupatus est diabolus, ut facilitia quadam larva & facie nos decipiat, & a Dei opere ad nostrum opus nos abducat. Multo enim splendidius & praeclarius esse videtur, Carmelitam quempiam magna & laboriosa quaedam facere opera, & nos ipsi multo majoris opera & merita nostra, quam Dei aestimamus. Verum Scriptura ita docet, quanquam omnium monachorum opera quantumvis nitentia, in unum conflata cumularentur, neque tamen tam pretiosa habenda forent, quam si Deus tantum stipulam humo sustulerit. Ita D. LUTHERUS Catechismo Majori disserit E. C. p. 536. V. ut agnoscamus dulcissimum professionis fidei consequens, quod est ipsa Dei cogniti & fide apprehensi possessio ac fruitio. Non enim mera verba esse, quae aut Deus ad hominem aut homo ad Deum in baptismo loquitur ac pronunciat, certo certius nobis esse debebat, adeo ut sicut nostri muneris est fidem nostram quam ore testamur, ipso opere edocere, ita vicissim & multo quidem magis Deus cum verbo & per verbum se nobis totum cum omnibus beneficiis suis tradat & possideri a nobis per fidem velit, ac unice desideret. VI. ut discamus proximum sigillatim unius fidei professione conjunctum, ipsosque adeo pueros, magni aestimare, atque eos velut animas caractere divino fulgentes, quae veterum locutio fuit, non despiciatui habere, temereque contemnere, aut instar quisquiliarum vilipendere, sed tanquam cohaeredes salutis nullo facile modo laedere aut laceffere, memores pacti, quod nos cum Deo ipsoque humano genere inivimus. Tandem vero VII. Ut assuefaciamus illud *ἐπερωτημα* conscientiae nostrae cum Deo crebra fidei professione & ruminatio-
ne redintegrare, ulterius confirmare ac continuare per crebram & assiduam S. Coenae perceptionem, quae recenti velut semper sigillo obsignat regiae beneficentiae diploma, adoptionemque nostram ulterius confirmat, labascentesque nos erigit & de divina gratia securos reddit. Precandum etiam, ut Deus eam nobis integram ac perpetuam servet, atque doctrinam ecclesiae nostrae de sanctissimo baptismi lavacro adversus varios rationis insultus immunem tutamque praestet, omnesque in ea viventes doctores auditoresque in professione fidei verae semel edita constantes & immotos esse jubeat, ut utrique perseverantiae suae fructus, tumultibus mundi & tentationibus superatis, in ipsa tandem capiant beata & triumphali*

AETERNITATE.

CLARIS-

CLARISSIMUM
DOMINUM M. KAUDERBACHIUM,
RESPONDENTEM
HUJUS DISSERTATIONIS
DEXTERRIMUM,
GRATULATIONE MULTA EXCIPIT
PRAESES.

INter laudes JOANNIS HOORNBE-
KII, Theologi inter Batavos eximii nomi-
nis, quas ipsi tribuit DAVID STUARTUS
in vita ejus consignata, hanc quoque relatam
lego, quod summae scientiae adjunxerit bo-
nam conscientiam & coronae literarum coro-
nam ex omnium virtutum gemmis distin-
ctam, ut dubium reliquerit, doctiorne vel me-
lior fuerit. Non disquiram, an has & alias,
quae sequuntur, laudes meruerit Vir inter e-
ruditos alioqui nobis non invidis referendus,
malim sane conscientiam ita cum scientia e-
um junxisse, ut in doctrinis Evangelicorum re-
censendis ejus meliorem habuisset rationem.
Hoc

Hoc modo legenti occurrebat, dignum omnino doctore Ecclesiae testimonium esse, si de eo scribi ad posteritatem possit, quod conscientiam bonam scientiae junxerit! Nam cum baptismus ἐπερώτημα sit bonae conscientiae omnibus quotquot Christi nomen amplectuntur, quidni illud tam egregium splendidumque bonum pertineat etiam ad doctorem ministrumque Evangelicum, cui tam praeclarae opes creditae sunt, ut cum nullis mundi thesauris permutari facile possint. Et ea propter omine faustissimo factum credo, ac divino plane auspicio, quod publicam Lutheri cathedram conscensuro & dotes Theologicas declaraturo contigerit argumentum praesens de professione fidei bonaeque conscientiae stipulatione; utpote cujus assidue memor non modo ab ultima adolescentia diligentiam cum probitate, verum etiam in Academia Lipsiensi nostraque, doctrinam cum vera infucataque pietate junxisti, & sic ad munus sacrum digne obeundum iis quibus fieri par erat, progymnasmatibus te praeparavisti. Quantus exinde laetitiae campus *Plurimum Reverendo Tuo*

E 3

Paren-

Parenti, Seniori Ephoriae Pirnensis insigniter
merenti, apertus sit, facile perspicio: divinoque
nutu evenisse credo, quod intra paucorum die-
rum spatium & humanae sapientiae praemium
consecutus sis, & divinius quoque doctrinae
specimen luculentum publice exhibeas. Quam-
obrem & ipse vehementer gaudeo, precorque ut
Parentis senium porro multa magnaue ex Tuis
incrementis propullulante sancta; & innocenti
voluptate perfundas, & Patronis Tuis Optimis,
ex quibus Perillustris **BUNAVIUS** eminent,
& magna propensione Tibi Tuisque favet, Te
imposterum quoque sic probes, resque omnes
Tuas ex animi sententia, Ecclesiaeque emolu-
mento aliquando agas. Scribebam die

XXII. Octobris, A. O. R.

M D C C X I I I.





